

PATRICIO SYMSONO

David Calderwood



Seudo-episcopatus malam hanc herbam, meritò ex Ecclesiâ ejectam; sensim iterum per aliquot jam annos irrepentem; mentitisq; titulis, & falsâ utilitatis specie insinuantem se, & cernere jamdudum poteramus omnes, & aversari debueramus: quippe Papanam prorsus hierarchiam, tam solenniter nobis abjuratam, aut ejus saltem propaginem, seu stirpem mavis, statim inutilem, dudum noxiam semper noxæ futuram. Depositâ autem jam personâ, palam se professam, palam se inferentem irrumpentem magno gradu, spirantem antiquos fastus, imminentem receptæ, firmatæ, juratæ disciplinæ, nec clam, ut nuper, cuniculos agentem, sed aperta vi grassantem: quo jure, qua injuriâ, fundamenta quatientem religionis, subruentem muros, ac portas molientem, ac quasi arci insultantem, consilia, judicia, comitia, maxima quæque sibi vendicantem, in procerum dedecus, religionis, Reip. ruinam, ferre adhuc, & dissimulare jam amplius, cujus tandem pusillanimitatis? ac pavoris? aut inertiæ potius, immo dementiæ fuerit? Et quid, quæso, expectamus? An dum rerum fastigia invadat? Rempublicam occupet? omnia ducat, trahat? consilia, judicia, sacra, civilia? At quàm serò lugebimus! quàm frustra, stabilitatâ illâ, latis semel legibus! Quin imus contra dum licet, dum per leges fas est, *dum pro nobis illæ stant; dum pin-

nas forte prensant hostes, at in muros nondum evasere, nec arcem tenent adhuc nec ille civitati suæ adeo succenseat! Nos tamen cunctamur! & alij alios intuemur! aut expectamus! aut incusamus! Quippe hic modestiâ, puta, peccat; Iuvenem se professus, ac imparem: iste prudentiâ tempora causatur, & opportunitates, nunquam inventurus, quærit. Ille pavidus auxilia circumspectat, & dum capita numerat, ac consentium voces, paucitate animum despondens rem deserit, stultus qui eventuum magis, quam officij curiosus, quid alij factitent inquirit, non quid ipse debeat. Ita qua præposterâ modestia, qua stulta prudentia, aut inepto, dicam, an impio pavore (siquidem impium est homines magis, quám Deum timere) dum nemo præit, omnes cessamus, immo cedimus, ac gradum referimus. Et (si recta rebus nomina aptanda sunt) locum deserimus, nec tentato certamine fædé fugientes, sacramento indecores, ac fustuarium meriti. Et facere tamen alia alios magis decet, & esse gradus fateor, & suam cuique vicem: servariq; ordines, & decere, & debere, & oportere. Et quid faciamus gregarij, si Antesignani trepidatis? si dubitant duces? si se subtrahunt? Constituit vos ille in prima acie, qui pastores vos constituit, & agmen jussit ducere, & ipsos præire, & alijs animum addere. Et vestra maxime res agitur. Si ceditis, si lenté agitis, si supiné, & segniter: quid qui in nullam reipub. partem venimus? Quin sunt & inter vos gradus: & alij alijs eruditione præstatis, gravitate, authoritate. Est, quem anteire deceat, quem sequi, quem lentiús, quem vehementiús agere, quem docere, quem disputare,

hor-

hortari, arguere: qui rectis per se dictis pondus addat & suis juxta, & adversarijs reverendus. Et jam ad decem deducti, tentamentum belli; de vestris, ac adversariorum animis haud leve in utramvis partem documentũ daturi. In vos omnium oculi conjecti, & hujus colloquij eventum, in te autem imprimis (Amicissime, & mihi semper amantissime, & nunc si unquam, Christi causæ hoc vinculo conjunctissime) in te inquam, ea integritate, fide, doctrina, prudentia, modestia, quibus & nostri fidant, & adversarij moveantur. Capesse magnus, hoc munus, & fælix defungere, tum ecclesiæ, tum tuo (nec dubitem) magno bono. Ventum ad extremam dimicationem est, ubi aut fortiter vincendum, aut honesté cadendum est, quicunque Christo seriò militatis. Equidem nihil medium video, nec dissimulari ultra rem posse, nec protelari: nec vos protelando, aut dissimulando unquam operæ-pretium fecisse. Quin hoc esse, quod illi agunt, instantibus nempe comitijs, ut per vestrum silentium negotium transigant. Sed quid agamus, dicat aliquis? aut quid agendo profecerimus? Enimvero in promptu responsio: nec ea dubia, aut ambigua. Siquidem jus postulant illi, si quod fas est, si quod ex usu ecclesiæ, aguntque recté omnia, omnia ordine, omnia candidé, si promissis stant, & fidem sincerè præstant: cedamus sponte, ac manus tendamus: etiam laudemus ultro, agamusq; gratias, & per multa millia obviam eamus, tantum abest, ut aut ipsis aut principis, quam jactitant: (seu vere eam jactitant, seu falsò) authoritati obnitamur. Sin contra, & nefas petunt, & ecclesiæ noxium, si agunt perplexé,

 ve-

vafrè, fraudulenter, si vana spe lactarunt, de reducendis, qui in exilium pulsi, de liberandis, qui in custodiam dati erant, & verba dederunt, nec prætereа quicquam: si in non neminem, regiam majestatem etiam exasperarunt, & ut duriús consuleret, effecerunt, qui etiam cum nullius criminis compertus esset, etiam consilij sententia innocens pronunciatus: tamen in rei summum dispendium, in vitæ discrimen procul amicis, inter religionis certos hostes, ejectum officio, nullo jure detruserunt, &, quantum in ipsis erat, crudelissime enecarunt, nec bona fide inducias servarunt, & pacem pacti, hostilia patraverunt, in ecclesiastica, in civilia munera irrumpentes, & quod presbyteriorum, quod Synodorum est, affectantes, & nec minas a pastoribus abstinentes, in consilio jactitare ausi sunt, penes se esse judicia ecclesiastica, prohibendi potestatem. Hæc, inquam, si ita sunt, tantum abest, ut vel latum unguem cedendum ijs putem, ut contra liberé de his ipsis expostulandum: acriter admonendos, objurgandos pro rerum atrocitate, nec usquam in posterum fidendum, quin cavendum, ut a fœnum in cornu habentibus: fraudibus occurrendum, violentiæ resistendum, rejicienda postulata, suspectas habendas blanditias, minas despiciendas, opponendam falsis veritatem, fucatis simplicitatem, humanis divinitatem, omnibus libertatem, candorem, constantiam, ut nec latere, nec artes suas sciant, nec duci amplius, aut decipi, nec cogi vos jam posse. De controversiis autem, quas vocant, an non perspicuum est, nihil in religione, nihil in nostra disciplina controversum: Omnia jamdudum definita, ac legibus

 stabilita

ſtabilita eſſe, etiam ipſis agnita, approbata, jurata. Vbi quis ferat juſjurandum eludentes, quaſi pſeudo-epiſcopatu hoc diſciplinam illam non everterent, quaſi eadem eſſet Presbyteriorum, & pſeudo-epiſcopatus, quem obtrudunt, diſciplina? Atqui cũ harum paritas, & imparitas ip ſſimæ differentiæ ſint, tam ipſas contrarias eſſe neceſſe eſt, quã differentiæ ſunt contrariæ. Aut quaſi aliam illìc Hierarchiam deteſtarentur, quam hîc urgent. Poneretúrque (ſcilicet) διακριτικῶς illud (*Papana Hierarchia*) non ἐπιθετικῶς potius: quaſi alia ulla eſſet Hierarchia, quam Papana, i. quæ papanæ eccleſiæ in uſu eſt: quæ vell ab illo, vel a qua ille, vim hanc, & tam enormem poteſtatem ſumpſit, ut & de cæteris cernere eſt, in juriſjurandi illa formula expreſſis & impreſſis: qualia ſunt *Papana Miſſa*. An aliam, ideo (nempe quæ Papæ non eſt) Miſſam admittimus? *Papanum* pro mortuis ſacrificium, an aliud ſomniamus? *Papana* ſanctorum indigetatio, cæteraque ſimilia, ut omnia percurramus, nunquam διακριτικῶς poni animadvertas, quaſi hæc quæ Papæ ſunt, deteſtaremur, alia toleraremus, ſed hæc (quæ ſane Papæ ſunt) ubicunque tandem ſint, fugiamus, nec ea, quia a Papa profecta, ſed Papam, quia ea ingerat. Tum Papana hierarchia non aliter, ſed eodem per omnia modo interpretanda venit. Et dicat, qui volet ſeriò, an quiſquam hæc aliter tum temporis interpretatus ſit, aut alia tum fuerit aut eccleſiæ jubentis, aut ipſius ſcribentis mens. Hîc, aut valde fallor, vnus vobis contraverſiæ ſtatus, in quem omni nixu, omni verborum & argumentorum vi incumbatis, nec uſquam divertatis, nec diverti vos ulla occaſione

caſione patiamini. Atqui hoc poſito fundamento, corruunt omnia illa, quæcunq; habemus quibuſcunq; fundamentis ſuperſtruxerunt: tum ipſorũ ſuperemimentia, tum presbyteriorum, & ſynodorum moderator perpetuus, quibus aut illi decedant, & in integrum ac priſtinum ſtatum eccleſiam penitus reſtituant, aut nullam unquam vobis cum ijs ſocietatem, aut pacem coire poſſe, minime diſſimulandum eſt. Atq, hoc in ſermonibus privatis, concionibus publicis profitendum: inſtruendos in hæc, informandos greges, cunctos, ſingulos, conſilia de his admonenda, plebem, proceres, clam, palam, & hoc, & omni tempore, juventutem de his inſtituendam, adultiorem ætatem aſſueſcendam, omni ope, nixu, diligentia: Arguendum quicquid hoc oppugnet: proteſtandum, atteſtandum: quin ſi pertinaciores pergant eſſe, & nulla meliorum ſpe eccleſiæ moleſti, ſtringendum etiam verbi gladium, & amputandum quod curari abnuat, ratamque eam apud authorem Deum, & efficacem ſententiam fore. Atq, hæc de priore hujus quæſtionis parte, nempe quid agendũ eſt. Ad alteram, (*Quid profutura hæc eccleſiæ ſint*) poſſem reſpondere, quid profuit hactenus aliam viã tenuiſſe? An non omnia quotidie cernimus in pejus, ut ait ille ruere, & retro ſublapſa referri? Itaq, dicam verbo, aut hæc eccleſiæ profurura ſunt, aut nihil profuturum eſt. Sic ipſi certe errores hi redarguuntur, &, ſi quis pudor, corriguntur, Sic regiæ Majeſtati error tollitur, quem illi auribus fortaſſe & animo inſtillarunt, inclinatam jam rem, defeciſſe maximam miniſterij partem, reſtare paucos, eoſque more magis quã judicio, nullius aut eruditionis, aut authoritatis, annitendũ paululum, admovendũ metum, ceſſuros & illos, ſublatis præcipue, aut mulcta-

tis pauculis, a quibus pendere cæteros falsò sibi persuasêre. Hoc dempto errore, miserebitur ille suorũ, qua bonitate est, agnoscat recta, quo judicio, laudabit constantiam, quo candore, reverebitur Dei manũ qua modestia, & qua prudentia fovebit, nec turbari ob tãtilla, nec divelli ecclesiã, nec vulnerari sibi omniũ sincerissime addictorũ animos sinet. Hic finis, hic exitus malorum futurus. Sin secus (quod ille misericors avertat Deus) evenerit, nos officio functi fuerimus, & testimonium, tũ ipsis, tum alijs, tũ huic, tum futuris sæculis præbuerimus: quin si quid duriùs patiendũ fuerit, fruemur optima conscientia, feremusq; æquanimiter, quod nisi Deo perfidi, & profugi vitare non potuimus, nec pro ejus causa stetisse, quantũ in nobis fuit, unquã pænitebit. Cætera illi permittenda, penes quem omnis, in cœlo, in terra, potestas est, in quæ nec inquirere nimium nos, nec de officio nostro ambigere oportet, quæ nostræ partes sint, magis quã quæ ille facturus sit curantes. Hoc tamen puto profiteri me posse, accensa multorũ studia, odio esse quã plurimis pseudo-episcopos hosce, etiam ijs quibus nuper tolerabiliores videbantur: fastidiri fastus & ambitũ, nec parvam sibi vndiq; invdiam conflasse, seu indignationem mavis. Addendos stimulos his affectibus, & exemplo præeundũ, omniq, opera nitendũ, ne quem progressũ faciant. Spem esse sisti posse impetus, mox & ipsos impelli. Sed retineo me, & ab evẽtu, & spe ad officiũ redeo Id unũ ante oculos ponendũ. Eò vos cũ Deo, teq, imprimis voco, nõ paucis, puto, certe optimo quoq, secuturis. Atq, hæc minus fortasse necessaria, quæ Dei tamen, quæ rei, quæ tui sanè amor extorsit, æqui boniq, consule. Seq, ille conatibus vestris, facilem & secundũ aspiret, Vale

Postrid. cal Maii, 1609. *Tuus in Christo*, D. Humius *Theagrius*.